

QUAESTIONUM
PLAUTINARUM ET TERENTIANARUM
LIBER PRIOR.

DE
VERBI POSSE FORMIS
DISSOLUTIS

DISPUTAVIT

EUGENIUS ZIMMERMANN.

WISSENSCHAFTLICHE BEILAGE ZUM BERICHT ÜBER DAS GROSSH. GYMNASIUM UND
REALPROGYMNASIUM LÖRRACH VOM JAHRE 1888/89.



LÖRRACH.
BUCHDRUCKEREI VON C. R. GUTSCH.
1889.

1889. Progr.-Nr. 578.

glo
3 (1889)

731.96



PRAEFATIO.

Grammaticis et criticis in rebus exstare haud pauca, quae minime singillatim seorsumque unoquoque loco diiudicanda sint neque recte diiudicari possint, quis est talibus in quaestionibus semel versatus qui nesciat? POSSE de verbo viros vel doctissimos in editionibus Plauti Terentii quae et libris grammaticis sive criticis saepe adhuc erravisse et errare res quasdam in certam quandam rationem referendas et sub unum conspectum subiciendas neque referentes neque subicientes videtur nobis ex disputatiuncula, quae sequitur, constare.

POSSE igitur inter verbi 'esse' composita — nam illud ex 'potis' et 'esse' in unam coaluisse vocem inter omnes constat, quamquam ipsius huius verbi compositi origo assimilatione quae vocatur paulo magis obliterata est quam ceterorum, qua re ipso in huius disputatiunculae limine proprium quendam locum composito 'posse' esse vindicandum tuo iure suspiceris — sat dignum est, ut in hac quaestione peragenda magis magisque elucebit, de quo accuratiore quadam agatur disputatione, unde id, quod paulo ante monuimus, huius quoque verbi in usum diiudicatum atque diiudicandum cadere facile perspexeris.

Cuius de compositi origine 'ipse indicio est', ipsius ut »dimidiati Menandri« utar locutione, praeter Plautum etiam Terentius, qui formas **et non contractas** — 'potis + esse' — **et contractas** — 'posse' — pariter adhibeat metri tantum, nequaquam sententiae, quam quidem respiciendam esse viri docti voluerunt non nulli, ratione habita, ita ut non semel scripturam primariam i. e. non contractam, etsi a librariis est obscurata, certa ex ratione nos restituere liceat atque oporteat.

Sane, quod in universum patet, ne Plauti Terentii quae genera dicendi, quorum uterque linguae usum exhibeat familiarem, ille, ut rem quam brevissime designem, plebeium, hic patricium, et coniungenda et disiungenda, simpliciter inter se misceantur, quam maxime est monendum: homines doctos artem grammaticam et criticam exercentes haud pauca peccavisse rebus et formis Plautinis temere in Terentium tralatis recentissimis temporibus intelleximus.

Itaque quod hoc opusculum ad genus GRAMMATICAE HISTORICAE spectans conficientes rationem dicendi Plautinam ac Terentianam seiunctim tractavimus, quo comparatio omnibus in partibus evadat facillima, nemo, nisi fallor, magnopere improbaverit.

Atque quoniam derivationem verbi verbo quidem attigimus, aptissime hanc disputationem, quod iterum ad indolem huius pertinet libelli, sic instituere nobis videtur, ut priore hoc libro iam edito de **formis**, altero postea fortasse edendo de syntaxi agamus verbi 'posse'.

Primum igitur sunt ex fabulis Plauti et Terentii superstitionibus exempla — mille fere — colligenda omnia: tanta cum cura et anxietate huic rei operam navare oportet, ut nemo plus magisve

navare possit. Imprimis nimirum proficiscendum erit e codicum collatione recentissima quamque accuratissima, quae editione Ritscheliana (nova) nondum sane plena exhibetur; nam talibus in quaestionibus, ubi de discrepantiis scripturae agitur haud raro subtilissimis, nulla fere collatio satis potest esse accurata, qua omni cum securitate fretus rem tractandam tractes. Deinde in res quasdam aut amborum poetarum communes aut utriusque proprias videbatur inquirendum, id quod partim facilius enucleari potuit partim difficilius: difficillime autem se non habere tales, qualis haec est, quaestiones non possunt, ubi de subtilitatibus quibusdam cum in formis tum in syntaxi verborum agatur frequentissimorum a librariis saepe magis minusve dilutis, cuius generis corruptelas omnium scriptorum in codicibus latissime patere constat. Quare, quamquam poetas praecipue Romanos, sicut prioribus saeculis multis de rebus se habebat sententia, utut atque ubiubi metrum postulabat, temere in rebus specie vel minutissimis modo hanc modo illam et admisisse et omisisse formam non habemus persuasum, ita ut potius contra disputemus, ne, id quod tertium considerandum, meditationibus quibusdam subtilissimis gravissimos in errores deducti non tam textum quam textorem, si ita dicere licet, »emendantes« depravemus memoriam, nusquam, nisi rationes intercedere a verbis videbantur certissimae gravissimaeque, id, quod de usu observavimus, in contextu poetarum peracturi traditis abire, idque quam proxime tantum, sumus ausi.

Itaque omnes coniecturas, emendationes vero nisi eadem videbantur statim in ipsum textum, qualis adhuc est constitutus, admittendae, censui plane opprimendas.

§ 1.

De POTIS et POTE apud Plautum.

a) 'Potis' verbo 'esse' adiecto.

Plautus et Terentius, ut alii, formas et non contractas et contractas, quod ad sententiam attinet, sine ulla usurpant differentia. Desunt enim minime viri docti, qui re vera discrimen statuere voluerint sententiae, praeter alios Bentleius, vir sagacissimi ingenii, cf. exempli gratia eius annotationem ad Ter. Eun. v. 113 (I, 2, 83). Attamen in adhibendis formis non contractis hos poetas non tam libere ac temere, quam adhuc viri docti iudicaverunt, versatos esse intellegemus.

Quamquam igitur Prisciano¹⁾ et Servio²⁾ testibus 'potis'³⁾ pro 'nomine'⁴⁾ est habendum, tamen haec forma usurpatur in utroque omnium generum numero: et in singulari et in plurali⁵⁾, ita ut hoc nomen sit annumerandum indeclinabilibus. Itaque non recte egit Pareus »Lexici Plautini« sub v. 'Potessum' annotans: »Pos enim in possum est ex potis: et pos in possumus est ex potes, plurali«.

Significationes locutionis 'potis' (cum 'esse' coniunctae) — cf. 'potens', 'potior', 'potissimus' formas — ad duas rationes possunt referri, quarum altera

a) ad personas (i. e. ut lingua utar vernacula »imstande sein, vermögen«), altera

b) ad res (i. e. »möglich sein«) pertinet.

Usurpatae autem in Plauti codicibus exstant formae

1) cf. Jnst. VI, 67 (pg. 708). 2) Inspicias Comment. in Verg. Aen. III, 671. 3) Cum 'pote' pro 'potis' conferas v. c. 'fortasse' pro 'fortassis', ('sat' pro 'satis'), 'mage' pro 'magis' (cf. ex gr. Don. annot. ad Ter. Adelph. v. 264 (II, 3, 11), ita ut formam 'potis' iudicare liceat oporteatque primariam; harum formarum ('potis' primariae et 'pote' secundariae vel debilitatae) de usu et Plautino et Terentiano quid dicendum, v. paulo infra. Conferas etiam Periz. ad Sanct. Min. cap. X pg. 215, I. G. Vossii Arist. s. De arte gramm. cap. 21, Ruddim. Institt. tom. I pag. 119 ann. 45, Reisigii »Vorlesungen üb. lat. Spr.« § 135, 7, Neuui »Formenlehre d. lat. Spr.« tom. II (2. edit.) pg. 692, Kuehneri »Ausf. Gramm. d. lat. Spr.« tom. I pg. 376 not. 1. — { Numeris utor locis **Terentianarum** comoediarum excitandis Umpfenbachii; **Plautinarum** Epid., Cure., Asin., Truc., Aul., Amph., Merc., Stich., Poen., Pseud., Capt., Rud., Bacch., Trin. Ritscheliana editionis »socii operae adsumptis Gustavo Loewe, Georgio Goetz, Friderico Schoell«, Men., Most., Pers. eiusdem Ritschelii ex editionibus 1848—54 publici iuris factis; Mil. glor. O. Ribbeckii (a. 1881); Cas. Gelperti (a. 1866), Vidul. Winteri (cf. Plauti fab. deperdit. fragm., Bonnae 1885). — Cist. nondum accurato cum app. crit. edita. } 4) i. e. pro adiectivo; cf. tamen iudicium Reisigii l. l. § 135, 7 et Kuehneri l. l. tom. I pgg. 376 et 520. 5) Nusquam nisi hoc loco ex augurum libris a Varrone (de ling. lat. V, 10, 58) laudato: »Divi qui potes«, de quo v. Neu. l. l. tom. II. pg. 98 et Kuehn. l. l. tom. I. pg. 359, videtur declinatum; cf. etiam Varr. ibid. V, 1, 4 ('impos').

A. 'potis' primaria

- 1) et a) ante vocales: Cure. 269 (II, 2, 19) (in forma 'potis' 'is' m. 3 e corr. E); Truc. 165 (I, 2, 64), ibid. 170 (I, 2, 169); Amph. 626 (II, 1, 79), ibid. 693 (II, 2, 61); Stich. 626 (IV, 2, 46) (POTISEST A, 'potest' cett.), ibid. 773 (V, 7, 5); Poen. 286 (I, 2, 74) (POTISEST A, 'potest' cett., cf. B. 'pote'), ibid. 846 (IV, 2, 24) ('potis est' D⁴ Z, 'poti est' B C D¹, 'potis' (sine 'est' sequente 'facere') F, ib. de v. 875 (IV, 2, 53) v. A. b.; Bacch. 35 (I, 1, 1) ('potis est' codd. cum Charis., nisi quod 'potius' Z et in 'potis' post 's' erasum est 'st' in B); Pers. 35 (I, 1, 36), ibid. 40 (I, 1, 41); Mil. glor. 683 (III, 1, ^{90.91}), ibid. 1317 (IV, 7, 12) ('potis es' C D F., 'potis' ē B, 'potissis' Non. (v. A. b.), 'potessis' Z); Capt. 970 (V, 2, 17) (traditum codicibus BE 'potisses' pro 'potis es' manifesto), de Pseud. v. 1302 (V, 2, 11) POTISESSE v. infra,

et b) ante consonantes: Merc. 331 (II, 2, 59), ibid. 349 (II, 3, 15); (Amph. quoque v. 1007 (III, 4, 22) — ubi codd. sane 'potius decet' pro manifesto 'potis decet' exhibent — laudaremus, nisi hos tres versus: 1006—1008 a Plauto prorsus abiudicandos esse constaret: cf. Muell. Plaut. Pros. pg. 617 not. 1); Poen. 227 (I, 2, 17), ibid. 875 (IV, 2, 53) (POTE (vel D)SI(vel E)S — itaque 'potis es', conf. pg. 9 — A, 'potis sis' cett. (nisi quod 'potissis' C); Mil. glor. 779 (III, 1, 168) ('potis' BCD, 'potes' FZ), ib. 780 (III, 1, 187), ibid. 786 (III, 1, 193), ibid. 1264 (IV, 5, 55) ('non potuistu' B, 'non potis si' rell.), ib. 1317 (IV, 7, 12) ('potissis' Non., 'potessis' Z, 'potis es' CDF, 'potis ē' B, v. A. a.); Cas. 115 (II, 3, 2);

- 2) semper in interrogationibus per 'Potin(e)' — prorsus nusquam invenitur 'Poten(e)' — formatis

a) coniunctivo [praeced. 'ut (ne)']: Trin. 628 (III, 2, 2); Epid. 63 (I, 1, 69); Truc. 897 (V, 5) (codices addunt hoc loco — cf. subsequens exemplum — 'es'); Amph. 903 (III, 2, 22) ('Potin es ut' BF, 'Potine st ut' D, 'Potin est ut' JZ, 'potui est ut' E — 'Potin ut' Camer. secutis Goetzio et Loewio); Merc. 441 (II, 3, 104), ibid. 495 (II, 4, 27), ibid. 779 (IV, 4, 39), ibid. 890 (V, 2, 49); Poen. 916 (IV, 2, 94); Rud. 425 (II, 4, 11); Bacch. 751 (IV, 4, 99); Pseud. 235 (I, 3, 6), ibid. 264 (I, 3, 30) (POTINUTA), ibid. 393 (I, 3, 159) (POTIN A), ibid. 940 (IV, 1, 29); Men. 466 (III, 2, 1) ('Potine ut' B, 'otine neut' CDa, 'Potin ne ut' DcZ, 'Potine ut' F), ibid. 606 (IV, 2, 63); Most. 396 (II, 1, 49); Pers. 175 (II, 1, 8) bis, ibid. 287 (II, 4, 16), ibid. 297 (II, 4, 26) (sine coniunctione); Mil. glor. 921 (III, 3, 54); Cas. 609 (III, 6, 10) item ac Pers. 297 (II, 4, 26) sine coniunctione,

b) infinitivo: Trin. 759 (III, 3, 30) ('est' codd. adiectum); Cure. 246 (II, 1, 31) ('postin' 's' del. m. 3 E); Poen. [309 (I, 2, 96) (POTE(vel minus probab. D)SNE A, 'Potes ne' cett.), v. infra pg. 16] 1089 (V, 2, 129);

- 3) semper in finibus versuum: Epid. 227 (II, 2, 43) [POTIS A, 'potesse' BJFZ E (cf. Cure. praef. Goetzianam pg. XI.)]; Stich. 454 (III, 2, 1) (POTI(vel E)S A, 'potist' BCDZ, 'potest' F); Mil. glor. 457 (II, 5, 47) ('potis' male ex subseq. versu 'nostra' adiecto, cf. pg. 17), ibid. 550 (II, 6, 70) ('potis' BaCDa, 'potis ē' Be, 'potes' Db, 'potest' FZ, Gulielmus hic voluit 'pote' e Varr. de ling. lat. V, 25 »ratiocinatus«), ibid. 960 (IV, 1, 19);

B. 'pote' debilitata

nonnisi ante consonantes: Trin. 352 (II, 2, 71) (POTEPATI A, 'potes pati' cett.); Poen. 286 (I, 2, 74) (POTISEST A, 'potest' cett., sed 'pote' ante 'quaestus' testimonio confirmatum claro Charisii (pg. 223, 21); Most. 256 (I, 3, 99) ('pote' Ba, 'potē' Bb, 'potest' rell.); Pers. 30 (I, 1, 31) ('pote pati' BCD, 'potes pati' FZ — idem 'pati' sequitur Trin. loco modo laudato). — Nusquam 'pote' pro 'potis' forma invenitur ante verbum subst. (cf. ceterum Poen. v. 875 (IV, 2, 53) pg. 9 excitatum). —

His igitur locis collectis intellectisque necessario, ut verborum traditorum mutationes eiusmodi, 'pote' ut aut in versibus extremis aut ante vocales existat (cf. usum Terentianum), a nobis probari non possint, efficitur.

Hoc ne frustra nos monere putaveris, inspicias ex. gr. (editionis Ritscheliana recentioris) hos locos:

a) Epid. 227 (II, 2, 43): „At tributus quom inperatus est, negant pendi potis“, ubi Kampmann⁶⁾ 'pote' pro POTIS (scriptura rectissime se habente palimpsesti A, — 'potesse' BJFZ) scribi voluit;

Truc. 317 (II, 2, 62): „Verum ego illum, quamquam violentust, spero inmutari pote Blandimentis“, quo loco libri cum A praebent 'potest' intolerabile sane, quicquid Bocksch⁷⁾ contra disputat; cum eodem Kampmanno⁸⁾ (v. Epid. l. l.) 'pote' scribendum censente praeter Fleckeisenum Spengeliumque Fr. Schoell formam istam in fine versus intulit, — idem ab eodem viro doctissimo factum est in Rud. v. 968 (IV, 3, 29) — cuius in locum debere 'potis' succedere iam, nisi fallor, apparet; pro 'potis' iam a Bothio scripto in Aul. v. 309 (II, 4, 30) 'pote' Kampmannianum recepit Goetz (codd. exhibent 'potest'). Ne verba hac de re simplici faciamus plura quam sat est, praeterea commemorasse tantummodo annotationes Ritschelianas ad Mil. glor. v. 550 (II, 6, 70) — ipsius in editione Ritschelii v. 551 — et Men. 625 (IV, 2, 41) sufficiat.

b) Trin. 920 (IV, 2, 75), quo loco Bergk et C. F. G. Mueller (cf. appar. crit.) re vera cogitaverunt de scribendo 'pote istos';

Truc. 929 (V, 37): „Auro hau ferro deterreri pote, istum ne amem, Stratophanes“, sic legitur in editione Schoelliana hic versus, cuius media verba tradita perturbatione quadam haud carent. Codices enim haec exhibent minime sana:

deterrere CDL (Z),	deterere B,
potest BCD,	potes L (Z),
neā& B,	neam et CD, ne amet L (Z);

quo loco viri docti coniecerunt alii alia. — 'Pote istum' illud certe in exilium eiciendum. Itaque temptandum, num nobis fortasse illa ex ratione, quam enucleavimus, locum sanare contingat. Tenendum igitur ante omnia videtur memoriae proditum esse et »deterrere« et »potest« et »ne amet«, quae verba non referri ad Strabacem non possunt. Perverse hoc sic institutum esse per se nemo dixerit, — quamquam primo obtutu hoc loco Phronesium de se ipsa loquentem claro cum editore fortasse lubentiore animo feceris. Attamen iam »deterrere« non habet obiectum, quod ex praeceptoris quoque carissimi sententia (v. appar. crit.) abesse nequit, — cf. ex. gr. Amph. v. 560 (II, 1, 10), (nempe nemo hic intellegendus nisi Strabax ille). Quid igitur, ut rem paucis designem, si quis ex verbis

6) Conf. 'R. mil. Plant.' (Vratisl. 1839) pg. 20. 7) 'De cas. attr. ap. Pl. et Ter.' (Vratisl. 1865) pg. 35 sq. 8) 'De Ab praepos. u. Pl.' (Vratisl. 1842) pg. 11.

traditis hunc efficiat versum?: „Auro, hau ferrod eum terrere potis es(t), ne amet, Stratophanes“, i. e. auro tantum (mihi) promittendo dandoque id assequaris, ut Strabax ab amore desistat meo. 'Eum' illud per scripturam expressum compendiarium ('ferrod ē terrere') facillime perversum in modum coniungi potuit cum antecedente 'd', ita ut nihil a memoria recedamus nisi 'potest' dissoluto (cum Bothio) in 'potis est' (= *δυνατόν ἐστιν*); ceterum si quis cum Spengelio (cf. eius editionem Truculenti a. 1868 publici iuris factam) scribere malit 'potis es', obstat nihil. Propiusne abesse a verbis traditis alia coniectura e palaeographica ratione possit, dubitaverim. — Quod attinet ad Aul. v. 390 (II, 8, 20), ubi Lambino, Kampmanno⁹⁾ auctoribus Goetz scripsit 'pote', acquiescendum in scriptura 'potes' codicum¹⁰⁾.

Distractarum autem formarum 'posse' compositi addito verbo substantivo — 'potis + esse', quae compositi partes tam arte inter se cohaerere cognoscuntur, ut semper nulla particula (ne 'non' quidem) intercedente (excepto necessario 'Potin est') eadem collocatione exstent traditae (quare parum provide Bergk — cf. Ind. Hal. 1858/59 pg. VII — in Merc. v. 928 (V, 2, 87) proposuit scribendum 'me decipere es haud potis') — memoriae produntur haec exempla:

'Potis es':

Truc. 897 (V, 5) — 'Potin (= Potisne) es' libri, nisi quod 'Potines' B, v. pg. —; Amph. 903 (III, 2, 22), v. pg. eand.; Pers. 35 (I, 1, 36); Mil. glor. 683 (III, 1, ^{90/91}) ('potis es' DFZ, 'potis est' C, 'potis ē' Ba, 'potis es' Bb), ibid. 1317 (IV, 7, 12) ('potis es' CDE, 'potis ē' B, 'potissis' Non., 'potessis' Z); de Capt. v. 970 (V, 2, 17) v. A. a) pg.

'Potis est':

Trin. 759 (III, 3, 30) ('Potin est' codd.); Curc. 269 (II, 2 19); Truc. 165 (I, 2, 64), ibid. 170 (I, 2, 69); Amph. 626 (II, 1, 79), ibid. 693 (II, 2, 61); Stich. [454 (III, 2, 1) (POTI(vel E)S A 'potist' BCDZ, 'potest' F)] 626 (IV, 2, 47) (POTISEST A, 'potest' cett.), ibid. 773 (V, 7, 5); Poen. 286 (I, 2, 74) (POTISEST A, 'potest' cett., Charis. 'exhibet (pg. 223, 21) 'pote'), ibid. 846 (IV, 2, 24) ('potis est' D⁴Z, 'poti est' BCD¹, 'potis' F); de Mil. glor. vv. 683 (III, 1, ^{90/91}) et 1317 (IV, 7, 12) v. supra; Bacch. 35 (I, 1, 1); Pers. 40 (I, 1, 41);

'Potis sunt':

Poen. 227 (I, 2, 17) ('potis sunt' libri, nisi quod 'potissunt' F; 'potessunt' Merula):

„Sed vero duae sat scio maximo uni
Populo quouilubet plus satis dare potis sunt.“

'Potis sim':

Merc. 331 (II, 2, 59) ('potis sim' codd., nisi quod F 'potis sum'):

„ hoc nunc mihi viso opust,
Huic persuadere quo modo potis si(e)m,
Ut illam vendat neve det matri suae.“

9) cf. „De Ex praepos. u. Pl.“ (Vratisl. 1850) pg. 14. 10) Conferas etiam Brixii annot. ad Trin. v. 628 (III, 2, 2) dicentis: „In *potis est, pote est, potest* hat die Umgangssprache einen unmittelbaren Ausdruck, für es ist möglich, dessen die Schriftsprache entbehrt“, Ritschelii coniect. 'pote esse te pati' vel 'pati pote esse te' in Poen. v. 696 (III, 3, 83).

'Potis sis':

Poen. 875 (IV, 2, 53) (POTE(vel I)SI(vel E)S — i. e. nempe 'potis es'? vix 'pote sis', quod prorsus inauditum — A, 'potis sis' cett., nisi quod 'potissis' C):

„Quasi vero tacere quicquam potis sis“.

Aliae huius frequentissimi verbi, quod varia ex ratione notabile proprium sibi quendam locum inter verbi subst. composita obtinere constat, formae in voculas 'potis' et 'esse' dissolutae non inveniuntur. Itaque parum accurate agit praeter alios Wagner in annotatione ad Ter. Heaut. v. 321 (II, 3, 80) in universum dicens: »In der Sprache der Komiker findet sich die ursprüngliche Form aller Personen des Sing. Präs. häufig«; etiam minus sane accurate P. Barth rem expedit libelli, qui inscribitur: »De infin. ap. scaen. poetas lat.« (Lips. 1881) pg. 17. Nullo enim pacto eos artem criticam et grammaticam caute exercere dicimus, qui 'a priori', ut ita dicam, unam quamlibet verbi 'posse' formam, ubicumque versus causa opus videtur esse, simpliciter distrahi potuisse atque ab ipsis posse putantes emendatorum munere fungi velint.

Ante omnia nullo modo infinitivum 'potis esse', certa praesertim cum haec forma omnino nusquam videatur tradita, pro codicibus exhibito 'posse' vel 'potesse' de coniectura in textum illatum probare possumus, id quod praeter alios in Ritschelii et Fleckeiseni editionem Pseudoli duobus locis cadit, cf. vv. 26 (I, 1, 24):

*„Has quidem pol credo, nisi Sibulla legerit,
Interpretari potis esse alium neminem“*

et 1302 (V, 2, 11):

*„Credo equidem potis esse te scelus
Massici montis uberrimos quattuor
Fructus ebibere in una hora“.*

Priore loco libri cum A praebent 'Interpretari alium posse', quae verba (alii viri docti alia coniecerunt) Camerario auctore Lorenz (v. eius in editione Pseudoli annot. ad h. l.) recte mutasse videtur in 'Interpretari alium potesse'; ne de 'potuisse' quidem scriptura — cf. Fothii disputationem pg. 21 laudatam — cogitare, nisi fallor, ita absurdum videtur. Hanc certe equidem malim quam cum Ussingio hiatum post 'Interpretari posse' statuere. — Sed quid? Re vera nonne 'potis esse' infinitivi forma in Pseudoli loco altero l. exstat tradita? Nonne apparatus criticus Goetzianae editionis novissimus ex A hanc inf. formam dissolutam exhibet? Legit sane Loewe scripsitque Goetz POTISESSE. Ipsius verba nonnulla Goetzii ex »Praefatione« hausta et ad palimpsestum A spectantia liceat hic proferre: »Ex quibus paginis commode vel non ita difficulter expedire posse sibi visus est Loewius hasce: 99, 100, 120 Quamquam ne in his quidem locos difficiliore omnino deesse consentaneum est. **Maiorem** molestiam praebuerunt paginae hae: 110, 115 398 Ex qua paginarum condicione lectionis **maiorem vel minorem fidem pendere** facile intellegitur. In apographo conficiendo Loewius praeter Ritschelianas lectiones non modo Studemundianas, sed etiam Geppertianas diligenter adhibuit: itaque has omnino omisi, illas plerumque non commemoravi, nisi ubi aliquid discrepantiae notandum fuit. Discrepantias autem lectionum a Studemundo

post Loewii curas editarum, quoad eius fieri potuit, exhibui omnes, sed ut Loewii lectiones iuxta cum illis ponerem. Ceterum me in adnotatione fere eandem quam in reliquis fabulis a me et Loewio curatis rationem secutum esse, de qua in praefationibus Mercatoris et Epidici dictum est, propterea moneo, quod Schoellii mei ratio (cf. Truc. praef. p. XIII) paullulum discrepat. Quaecumque igitur **puncto notatae** sunt litterae, tenendum est in palimpsesto aut prorsus evanuisse aut intercidisse una cum membranae particula aut nova scriptura obductas esse.¹ Quid vero? Continet pg. 398 versus 1296—1312 »maiolem molestiam« legendi praebentes. Ipsa in forma POTISESSE — quam Loewe effecit — litterae quaedam incertae sunt; tam incertae videntur, ut Ritschelius — ipsius si apparatus criticum inspicias — has litteras his spatiis recte egisse sibi visus sit scribens: POT I SS I SSE. Respicias quaeo litterarum spatia accurate in appar. crit. Ritscheliano, i. e., nisi egregie fallor, 'potessesse' (dittogr.). I et E saepius accurate discerni in palimpsesti scriptura non posse notum est; quomodo autem illam S litteram bis duplicem scriptam probabiliter explicare velis et possis nisi ea legendi ratione, quam nos proposuimus? Quod ad difficultatem nonnullis locis membranarum attinet legendarum, cf. ex. gr. Merc. v. 553 (III, 2, 10), ubi Ritschelius quondam pro POTES legit et scripsit POTIS; cf. etiam Poen. v. 875 (IV, 2, 53). Certo si quaestio est, utri recensionis, Ritschelianae an Loewianae, fidem habeamus maiorem, dubitatio existere nequit; cum autem tam paucas 'posse' verbi formas dissolutas inscriptionibus codicibusque exstare traditas neque lectiones 'potis essem etc.' inveniri neque 'potis esse' formam ullo testimonio exornari posse constet, nonne 'potis esse' illud Loewianum addubitandum est? Hoc Pseudoli loco non vidit, sed legit vir doctus formam.

De scriptura 'potasse' ('potesse') ceterorum codicum v. appar. crit. Ex ratione metrica cur 'potesse' (ex 'potessesse' illo et 'potasse' facillime restitutum) hoc loco sit tam intolerabile, ut emendatione egeamus, non est. Quodsi scripturam palimpsesti traditam suspicari quidem nobis contigit veram, in 'potesse' acquiescendum. — Ceterum Mueller hoc loco (Plaut. Pros. pg. 219) dimetrum iambicum efficiens proposuit 'posse'.

Ex iis, quae iam disputata sunt, quominus futurum 'potis erit' formetur, nobis est intercedendum quam acerrime. Hanc enim formam de coniectura [praeter Ritschelium Fleckeiseno Lorenzioque secutis in Mil. glor. v. 1264 (IV, 5, 55)] O. Ribbeck duobus Mil. gl. locis anno 1881 editae censuit inserendam. Proditur enim memoriae in Mil. v. 921 (III, 3, 54): »Eo potiverim lepidius pol fieri« ('potiverim lepidius' BCD, 'poterit verum lep.' FZ.); quem locum Lindemann olim Ritschelio secuto in 'potuerit rem lep.', Bothe in 'potis est rem lep.', Camerarius in 'potuerit lep.' voluerunt emendatum. Ribbeck autem scripsit »Eo potis erit rem lepidius pol fieri«, quod ex iis, quae antea significavimus, ferri prorsus nequit; valet de v. 1267 (IV, 5, 58) idem, ubi idem vir doctus lacunam per »Adeat. † Adeas. non potis erit« expleri posse iudicavit. Ratione autem prioris Militis loci habita coniectura Lindemanni ita mihi probatur, ut, sanarine vulnus possit probabilius, valde dubitem¹¹⁾.

Non minus impugnanda forma 'potis esses' ab Hermanno in Bacch. v. 554 (III, 6, 25) pro 'posses' tradito illata: haud aliter necessario de ceteris huius modi formis e coniectura inductis iudicandum.

11) Brixii annot. Mil. gl. conferas in appendice ad hunc versum exstantem: „ eo potiverim BCD, wo das Richtige für potiverim noch nicht gefunden zu sein scheint.“

α. Sed nostra quidem formarum ex observatione ipsarum ex. gr. scripturae Spengelii (Studemundi Brixii) 'potis est' pro 'potius' vel 'pitius' tradita in Truc. v. 653 (II, 8, 5) nihil obstat; conferas etiam ad Stichi v. 301 (II, 1, 29): »Sed tandem quom recogito, qui potuit scire haec scire me? Ritschelii annotationem: 'an *potis est* potius?', Luchsii coniecturas 'qui fieri potis est' pro 'qui scire potui' in Poen. v. 986 (II, 2, 26) — de coniect. (Gepperti 'potis sim' et) Muelleri Beckerique 'potis sum' v. infra — et 'qui potis est fieri' ibid. 1056 (V, 2, 96) pro 'qui potuit fieri'¹²⁾, Ritschelii coniecturam 'uxor si ea duci potis est usquam' in Mil. glor. v. 684 (III, 1, 91) (iam plane caducam)¹³⁾. Commemorasse locos sufficiat hos, ne varia vanaque farragine singularum rerum, quae nobis in usum Plautinum verbi 'posse' inquirentibus prorsus nihil lucri auxiliique afferant, e necessaria mehercule subtilitate in loquacitatem deducamur hac in quaestione non tam 'statistica' quam grammatica et critica molestam: nam cum de usu Plautino huius verbi sententia non possit esse non una, varia esse saepius potest de emendandis locis singulis.

Paulo intricatius se habet res in Asin. v. 558 (III, 2, 12), quo loco libri uno fere ore

„*Edepol virtutes qui tuas nunc possis conlaudare,*

Sicut ego possim, quae domi duellique male fecisti“

coniunctivos 'possis' et 'possim' (nisi quod F 'possum' altero versu) exhibent. 'Si locus integer est, »Tu vero« inquit Leonida, 'virtutes tuas tam laudare potes, quam ego malefacta tua', ut hypothetice efferantur, quae simpliciter declaranda erant, cuius rei quoniam rationem desidero, malim cum Gertzio non pro nunc scribere, quae Ussingii sententia (cf. comment. in Asin. — edit. Plaut. vol. I — pg. 404) haud displicet. Nihilominus Goetzii Loewiique demum coniectura, qui voluerunt 'non potis es' pro 'nunc possis' codd. tradito — itaque ne hoc quidem silentio praetermittam, Hermannii¹⁴⁾ coniecturae 'possit' in Pers. v. 40 (I, 1, 41) pro 'potis est' tradito contraria —, 'nunc possit' a Sentario, aliis scripto, 'non possis' a Gertzio commendato, sententiae plane satisfactum iudico 'possim' quoque libris (praeter F) exhibitum post 'Sicut ego' cum F. Pylade, Fleckeiseno in 'possum' mutantium.

Pro tradito 'potest' in Amph. v. 231 (I, 1, 76):

„*Pro se quisque id quod quisque potest et valet*“

efficiendi versus causa recti proposuerunt Bothe, Hermann, Lindemann 'et potest' a Goetzio quoque et Loewio receptum, Muelleri¹⁵⁾ 'quisquis' ante 'potest' pro 'quisque' tradito scribendum in mentem venit. Etiam minus mutasse ratione librariorum respecta Ussing mihi hic videtur 'potest' distrahens simpliciter in 'potis est', quare nonne haec emendatio praeferenda erit?

β. Hac in particula, de qua nunc agimus, quaestionis, ut litteris α. et β. in capite collocatis cognoscas, divisionem quandam volumus formarum hic institutam: superiore illa particula (sub α.) de formis 'potis es' et 'potis est' disseruimus, disserendum iam nobis de talibus formis, quales in vv. Poen. 227 (I, 2, 17), ibid. 875 (IV, 2, 53), Merc. 331 (II, 2, 59) sunt traditae. Segregationem autem, ut hoc Tertulliani substantivum mihi indulgeam, formarum 'potis es', 'potis est' a 'potis sunt', 'potis sim', 'potis sis', quae quam rarae, a Terentio plane evitatae, nobis in Plauti fabulis occurrant, e locis allatis ratiunculam ipse subducas, minime e libidine, sed ex consulto atque, ut equidem opinor, ex re velimus factam, idque has ob causas:

12) Inspicias Herm. vol. VIII (a. 1873) pgg. 118 et 117. 13) cf. Brixii annot. ad h. v. in appendice factam praecipueque O. Ribbeckii. 14) cf. Jahni Annal. phil. nov. tom. XXXV pg. 193 sq. 15) v. 'Plaut. Pros.' pg. 624.

infinitivi praes. formae omnino nonnisi ⁱ‘potesse’ — etiam apud Plautum Terentiumque — et ‘posse’ inveniuntur certae: dubia de illa tertia ‘potis esse’, quam quidem in membranis Ambrosianis G. Loewe legisse sibi videtur, v. pg. 9.

coniunctivi impf. 3. pers. sing. nonnisi formae ‘potisset’ — apud Plautum semel [in Mil. gl. v. 880 (III, 3, 11) codicibus BCD tradita (‘potis est’ FZ): „Tibi dixi miles quem ad modum potisset (Ritsch. male ‘potesset’) deasciari” (de Capt. v. 970 (V, 2, 17) cf. pg. 6)] usurpata — et ‘posset’ adhibentur { tertia non exstat, itaque nullum ‘potis esset’, ut Gronovius, Pylades Mil. l. l. voluerunt; rectissime igitur, ne hoc neglegamus addendum, scripsit iam Lachmann [cf. C. Lachm. in Lucr. de r. n. libros comment. pg. 316 (V, 880 s. f.)]: » — *potis esse et potis esset* aut numquam legi aut non memini¹⁶ }.

Haec duo Plautini usus exquisita quaedam exempla — ‘potisset’, ‘potesse’ⁱ (cf. etiam de Lucillii satiris Non. pg. 484, 32 et 445, 29, ubi eadem duae formae confirmatae) —, quae nullo modo scriptura in partes, ex quibus re vera constant, dissolvi possunt, neque tamen plenam contractionem — ‘posset’, ‘posse’ — exhibent, adeo exstant certa, ut nulla coniectura et »emendatione« possint removeri. Itaque tria vero formarum verbi ‘posse’ genera discernenda, quae his exemplis in Plauti codicibus exstantibus

- 1) ‘potis est’.
- 2) ‘potisset’.
- 3) ‘posset’¹⁶

significare lubet.¹⁷)

Ut hoc statim absolvam, formas ‘potissit’, ‘potisset’, ‘potisse’ solas recte se habere antiquas, non ‘potessit’, ‘potesset’, ‘potesse’ (cf. etiam Ter. Eun. v. 666 (IV, 3, 24), de quo v. pg. 22) contendit iam Lachmann (v. locum supra laudatum: conferatur forma POTISIT in S. C. (Epistula) de Bacchan. exstans — Momms. Corp. inscr. lat. vol. I (pg. 43) n. 196 lin. 28). Ipsius ex analogiae ratione ‘potisset’ forma (contracta nimirum ex ‘potis esset’) agnita atque in contextum recepta ‘potisse’ (non ‘potesse’, ita ut aphaeresin vocalis ‘e’ in ‘esse’ (quae notissima in forma ‘est’, cogita ex. gr. de ‘habitu’), non apocopen litterarum ‘i s’ in ‘potis’ habeamus — quoniam nullo pacto ex iis, quae antea disputavimus, de forma soluta ‘pote esse(t)’ cogitare licet) agnoscenda erit recipiendaque. — Sententiae eorum, qui verbo ‘posse’ componendo subesse semper ‘potis’ formam primariam, ‘pote’ nusquam, iudicant, cum in universum probanda sit, Ter. Phorm. v. 535 (III, 3, 2), de quo v. pg. 22, obest solus.

Quibus rebus respectis eadem ex analogiae vi, cum nihil sit rationis grammaticae aut metricae, quod nos impediat [in Poen. v. 875 (IV, 2, 53) legendum ‘quicquam potissis’ pro ‘quicquam potis sis’ — cf. Brixii annot. ad Mil. glori. v. 880 (III, 1, 11) apud ipsum Brixium 884)], quid ni formas

16) In ‘possum’ cett. syllaba prior eadem ratione abbreviata ex ‘potis’ atque posterior in ‘impos’. 17) Formae ‘potist’ in Stich. v. 454 (III, 2, 1) (ceterum intulerunt de coniectura hanc formam Camer. in Truc. v. 170 (I, 2, 69) et Spengel ibid. 165 (I, 2, 64), cuius personae nonnisi formae ‘potis est’, ‘potest’ (nequaquam ‘potist’) testimonium auctoritatemque nactae, itaque pro ‘potist’ erat scribendum ‘potest’) codd. BCD(Z) exhibita (‘potest’ F), ubi A praebet POTI(vel E)S, et ‘poti est’ Poen. 846 (IV, 2, 24) in BCD¹ exstans (‘potis est’ D²Z, ‘potis’ F) necessario omni carent auctoritate; cf. ex. gr. Stich. v. 121 (I, 2, 64), ubi similis corruptela Ambrosiani exhibentis POTIES exstat, scripturas ‘possumi’ cod. B ibid. in v. 72 (I, 2, 24), ‘pota est’ codicum CDbF(Z) in Mil. gl. v. 692 (III, 1, 100), quibus ex scripturis ut manifestis mendis efficiendum nihil huc pertinens.

illas 'potis sunt' (quam Guyet etiam in Stich. v. 773 (V, 7, 5) voluit), 'potis sim', 'potis sis' ex primo in alterum quasi illud genus transferamus scribendo 'potissunt', 'potissim', 'potissis'? ita ut formae locutionis huius plane in duas partes (vel voculas) dissolutae 'potis es' et 'potis est' tantum exstent, unde hac in re sermonem familiarem et Plauti et Terentii — loco illo Phormionis omisso — convenire apparet.

Ne hoc quidem velim neglegas, quod praeter 'potis es(t)' eae solum eiusmodi formae codicibus sunt traditae, in quibus, ut rem quam paucissimis designem, duae 's' litterae sunt coniunctae [qualium formarum unam uno loco — infinitivi 'potisse' (a 'potisset' evitata originis ratione habita minime item diversam atque a 'potissunt') — Terentius quoque sibi se indulgere posse arbitratus est]; itaque nusquam ex. gr. 'potis erat', quam formam vix cuiquam in unam consociare vocem in mentem venire possit!

Sed num iam re vera aliquid protulimus prorsus inauditum, quod testimonio auctoritateque careat omni? Nonne ipsius Plauti in codicibus testimoniisque scriptorum hac spectantibus nonnullis locis eadem exstat scriptura? In Poen. v. 875 (IV, 2, 53) praebet C 'potissis', in Mil. glor. v. 1317 (IV, 7, 12) exhibet Nonius hunc locum laudans 'potissis' (Z 'potessis'); 'potissunt' legitur in F Poen. 227 (I, 2, 17) (Merula scripsit 'potessunt'); cf. etiam Luchsii annot. ad Merc. v. 330 [in edit. Ritschel. huius fabulae altera v. 331 (II, 2, 59)] in Studem. Stud. vol. I pg. 36¹⁸) et Brixii sententiam significatam in annot. ad Mil. gl. v. 880 (III, 1, 11) supra excitata, Ritschelii scripturam in Pseud. v. 355 (I, 3, 121): praecipue autem POTISIT formam senatus consulti illius pg. 12 laudatam.

Ut formam 'potivi', quam Ritschelius in Most. v. 792 (III, 2, 105) pro tradita 'potui' intulit, excludendam esse (nam 'potiverim' formam in Mil. gl. v. 921 (III, 3, 54) BCD traditam corruptelam esse manifestum) est certum, dubium esse fortasse potest, num liceat ipsius ex usu linguae formas 'potissum' [cf. Bothii Ritschelique scripturas in Pseud. v. 355 (I, 3, 121), Muelleri (cf. 'Nachträge' pg. 145) Beckerique (cf. Stud. Stud. I pg. 148) in Poen. v. 986 (V, 2, 26) (v. etiam annot. Brixianam pg. 12 commemoratam), Ritschelii in Mil. glor. v. 115 (II, 1, 37)] atque 'potissit' [quam formam etiam Pareus in »Lexicon Plautinum« recepit Camerarianam Pers. 40 (I, 1, 41)] in Plauti fabulas inserere. Nam quomodo plane certa ex ratione efficiamus, ubi testimonia desunt, omni dubitatione remota, quae formae sic comparatae temporibus Plautinis in ore omnium fuerint usitatae, ita ut, ubi versus causa viderentur necessariae, Plauto eas adhibere liceret? Quamquam equidem, analogiae ubi vis est tanta atque, ut ita dicam, tam ingens, his formis minime intercesserim, praesertim cum hae formae ne alios quidem apud scriptores sint inauditae velut 'potis esse', 'potis erat'.

Ut iam indicavimus, praeter 'posse' infinitivum etiam 'potesse' memoriae proditur Plauti codicibus, cf. vv. Epid. 227 (II, 2, 43) (POTIS A (recte!)), 'potesse' BEJFZ — cf. Curc. praef. Goetz. pg. XI), Truc. 89 (I, 1, 73) ('potesse' CDLZ, 'potest. se' B), Rud. 55 (prol.) (nisi quod 'potes se' D); Bacch. 559 (III, 6, 30) ('potesse' ABC, 'posse' DFZ); [de Pseud. v. 1302 (V, 2, 11) v. pg. 9 sq.] Men. 625 (IV, 2, 41) — male pro 'potis', v. § subseq.; Most. 1015 (IV, 3, 23) (omnes libri 'Potesse dissimulando', nisi quod 'Potes sedis simulando' C).

18) Annotat enim vir doctus: „Possit tamen Camerarii ille versus (i. e. „Huic persuadere quo modo potis siem“) ita fortasse defendi, ut *potis siem* in unum verbum coniungamus veluti Poen. I, 2, 17 est 'potissunt'."

Itaque ubicunque inf. forma 'potisse' metri causa videtur inferenda, nihil obstat; qua emendatione mutatio more librariorum respecto vix possit excogitari lenior, cf. Pseud. v. 26 (I, 1, 24) supra tractatum.

b) 'Potis (—e)' verbo 'esse' omisso.

Ritschellii annotatio, quae legitur Prolegomenorum eius Trin. editionis, quam vir praeclarissimus anno h. s. XLVIII publici iuris fecit, pg. CXI, praecedat: » tertiam 'potis' vel 'pote' vocem« — agitur de verbi 'esse' omissione —, »quae hoc habuit singulare, ut non pro 'potest', tantum vel 'potis est' usurparetur, sed etiam pro aliis formis eius verbi, etiam pro infinitivo«.

Ante omnia, de inquirendi ratione cave dixeris, si quis recte hanc de verbi 'esse' omissione quaestionem instituere velit, proficiscendum esse ab iis exemplis, ubi verbum additum sit substantivum, neque apud 'potis' 'esse' omitti potuisse, nisi etiam dissoluta forma plena (i. e. 'potis' 'esse' adiecto) exstet respondens. Talibus in rebus, in quibus quidem nonnisi usus regnat disceptator — atque usus est tyrannus, qui hic agnoscendus solus —, ne argutissimis quidem meditationibus, ut ita dicam, logicis quicquam veri certive efficitur.

Ceterum mea quidem sententia grammatici multi multa quadam cupiditate capti videntur statuendarum ἐλλείψεων — omissionum —, quae re vera, si accuratius rem tecum reputes, non sunt. Itaque ante omnia inter nos conveniat oportet, quomodo nos de 'Potis(e)' verbo 'esse' omisso verba facientes velimus intellectos.

Velut si quis respondet Romanus — ne aliis quidem in linguis huius rei desunt exempla — interroganti aliquid alicui: »Verum«, minime annotandum e ratione grammaticorum vel grammaticulorum: »'Verum' i. e. '(Hoc) verum est«; utrumque dici per se potest, neque tamen illud ex hoc ellipsi ortum est, nam utrumque per se ipsum rectum. Nonne si 'Verum' tantummodo dicens respondet, simpliciter rationem 'veri' statuit, si '(Hoc) verum est', iudicium plenum hac enuntiatione eloquitur? Itaque in responso illo priore nihil (necessarii) deest, nihil omissum, nihil supplendum! Minime enim unumquodque dictum praedicato (sim.) mente adiciendo ad normas enuntiatorum est dirigendum eorum, quae re vera subiectum, praedicatum, sim. exhibent. —

Eandem rationem, ut alio, huc quoque spectare vix expresse monendum. Quid si in ipsa hac, de qua nunc agimus, particula quaestionis nostrae argumentum quoddam praeclarum latere dicimus, quo sententia nostra quam maxime fulciatur?

Num usquam ex iis, quae priore § disputavimus, infinitivi 'potis esse' oculis, non mente tantum, conspicitur portentum? At nonne infinitivus 'potis' apud ipsum Plautum (sicut 'posse') optime confirmatum? Quonam iure iam dicere licet huiusmodi exemplis mente adiciendum 'esse'? Quare si de verbo 'esse' apud 'potis' omisso — brevitatis causa sic scribimus — verba facimus, non tam sic e ratione grammaticulorum interpretandum, ut verbum subst. per se necessarium ob hanc vel illam causam (ex. gr. metricam) praetermissum, quam ita ut verbum subst. simpliciter non additum esse iudicemus. Discrimen dicendi: 'verbum subst. est praetermissum' et 'verbum subst. non est additum', nisi fallor, apparet. Sed iam ad rem ipsam!

Quot locis 'Potin' — modo = 'Potin es' (cf. Poen. v. 1089 (V, 2, 129): „Potin tu fieri subdolos? † Inimico possum“), modo = 'Potin est' (quod multo saepius) — inveniatur, v. § 1. Atque in interrogationibus sic comparatis semper fere 'Potin' sine verbo subst. exstat memoriae proditum,

ita ut hunc usum verbi (nam cur 'Potin' dici forma verbi 'posse' non potest?) formularum quandam, si ita dicere licet, naturam induisse tuo iure suspiceris. Tribus tantum his locis, nisi fallor, verbum 'esse' est adiectum:

Trin. 759 (III, 3, 30):

„Dum occasio ei rei reperiatur, interim

Ab amico alicunde mutuom argentum rogem.

† Potin est ab amico alicunde exorari? † Potest.“

Truc. 897 (V, 5):

„Potin es ut mihi molestus ne sies?“

Amph. 903 (III, 2, 22):

„Potin es(t) ut abstineas manum?“

(‘Potin es ut’ BF, ‘Potine st ut’ D, ‘Potin est ut’ JZ, ‘potui est ut’ E — ‘Potin ut’ Camer.)

Truculenti locum prorsus aliter ac Trinummi esse comparatum facile concesseris; respectis autem omnibus (quinque fere quinque) locis, ubi allocutiones simillimae alterius personae per ‘Potin [ut(ne)]’ formatae omisso ‘es(t)’ — qua in ratione dicendi multo plus gravitatis inest quam in ‘Posse’ simpliciter cum infinit. coniuncto — exstent (v. pg. 6, ne exempla hic repetenda sint nobis alia sane occasione enumerata pluraque faciamus verba, quam necessaria videntur), sine ulla dubitatione cum Schoellio (Bothio praeunte) egeris ‘es’ post ‘Potin’ in vs. Truc. illo delente [cf. praecipue Epid. v. 63 (I, 1, 60), Men. 606 (IV, 2, 63), Pers. 287 (II, 4, 16)]. Idem cadit in Amph. versum commemoratum, quocum cf. Rud. v. 425 (II, 4, 11).

Dubium primo obtutu est in exemplis ‘Potin ut me ire, quod profectus sum, sinas?’ [Trin. 628 (III, 2, 2)], ‘Potin ut molestus ne sies?’ [Epid. 63 (I, 1, 60), — cf. Truc. v. 897 (V, 5) emend. Both. — Schoell., Merc. 779 (IV, 4, 39), ‘Potin ut taceas’ [Poen. 916 (IV, 4, 94); cf. Pseud. 940 (IV, 1, 29)] cett., utrum ‘Potin’ secunda [personaliter dictum = ‘Potesne facere’ — cf. memoriam Truc. et Amph. I. I., Spengelii annot. ad Ter. Adelph. v. 539 (IV, 1, 23)] sit persona an tertia [impersonaliter dictum = ‘Potestne fieri’ (cf. praeter alios Ritschelii Prolegg. in Trin. pg. CXIII, Holtzii Syntaxis pg. 11, Kuehneri grammaticae II tomi pgg. 798a, 808a, Draegeri ‘Histor. Synt.’ tomi II pg. 263)]. Sed collatis versibus Merc. 495 (II, 4, 27): »Potin ut aliud cures? † Non potest« et Most. 396 (II, 1, 49): »Potin ut animo sis quieto et facias quod iubeo? † Potest¹⁹⁾ (cf. etiam Bacch. v. 35 (I, 1, 1) »Quid si hoc potis est ut tu taceas, ego loquar?«) equidem alteram illam explicationem longe praetulerim; quibuscum versibus conferas Poen. 1089 (V, 2, 129).

Semper praeterea eiusmodi in interrogationibus traditis ex formularum ratione deest inf. ‘fieri’, ut exemplis intellegas perlustratis. Itaque nullo pacto ‘emendatione’ locutionem ‘Potine fieri ut(ne)’ sequente secunda persona sing. Plauto (aut Terentio) licet obtrudere, cf. Cure. v. 200 (I, 3, 44), quo loco in editione Ritscheliana (facta a Goetzio) re vera legitur:

„Potine fieri ut inmodestis tuis modereris moribus?“

‘Potine fieri ut’ e coniectura exstat Pii atque Luchsii²⁰⁾ loco verborum codicibus traditorum ‘hoccine fieri ut’. Quamquam ex iis, quae disputavimus, haec »emendatio« quam maxime nobis impugnanda

19) Prorsus aliter comparatus est Trin. v. 759 (III, 3, 30) quem supra commemoravi, ubi vix quisquam, ut hoc addam, verbis adeo vim intulerit, ut acc. c. inf. pendentem ex ‘Potin est’ (= Potest ne fieri) statuere velit. 20) cf. Herm. vol. III. (a. 1874) pg. 116.

est, tamen qua ratione hic locus vexatissimus²¹⁾ sanari possit probabili, equidem non video; certe 'Potestne fieri ut' erat scribendum. E difficultatum autem natura metuo, ne hoc in versu ars potius certa nesciendi quam incerta putandi sit exercenda!

Non autem dubito, quin ex analogiae vi ac ratione 'Potine' (personaliter dictum) de coniectura Ritschelio duce sit inferendum in Poen. v. 309 (I, 2, 96): „*Potine mi auscultare? + Possum*“ (sic legitur in editione Ritsch. a Goetzio et Loewio confecta), ubi codices exhibent A POTES (vel minus probab. IS)NEMIHI, cett. 'Potesne mihi' (vel potius 'Potes ne mihi', nisi quod D 'Potes nemihi'). Quo loco 'es' ad 'Potin' a Guyeto, Reizio, C. F. G. Muellero additum male se habere mihi videtur. Praeterea de 'Potine' forma inferenda Ritschellius in Pseud. v. 85 (I, 1, 83) — v. eius annot. — minime non cogitavit [sed cf. Stich. v. 324 (II, 1, 53)].

Ne autem sic argumentemini: >dubitamus fortasse recte iterum ac saepius quam maxima diligentia ad verba exemplaue memoriae tradita recurrendum rati, quod loco alio, ubi secundae personae per 'Potine' c. inf. allocutio exstet: Poen. 1089 (V, 2, 129) 'Potin tu fieri subdolan? + Inimico possum', ipsum pronomen 'tu' adiectum, quo hoc 'Potin' ab illo impersonaliter usurpato, quod in formularum quasi genus abiisse contendimus, quam accuratissime discernatur, nostraque sententia ex ratione huius Poen. versus saltem 'tu' addendum. Hoc non ita temere dictum, immo vero similitudine quadam veritatis carere primo obtutu non videtur, si — adeo processeris, ut etiam Curc. 246 (II, 1, 31) usum personalem locutionis 'Potin' exstare neges; sed nonne unusquisque sentit his in versibus

„Potin coniecturam facere, si narrem tibi,
Hac nocte quod ego somniavi dormiens?“

explicationem alteram — 'Potin' = 'Potesne' — multo simplicius, minus artificiose ideoque longe se habere probabilius? Re vera forma 'potis' saepius alterius personae optime confirmata nobis Plauti codices occurrunt perlustrantibus.

Ut iam diximus, in locutione 'Potin ut' impersonaliter usurpata, qua monitio inducitur (cf. ex. gr. Men. 250 (II, 1, 25) 'Molestus ne sis', Pseud. 118 (I, 1, 116) 'molestus nunciam ne sis mihi') gravissima semper verbum subst. deest, semper inf. 'fieri'²²⁾. Quod ad usum coniunctionum attinet, invenitur et 'Potin ut (+ ne)' et 'Potin ne'; duobus tantum locis: Pers. 297 (II, 4, 27) 'Potin abeas' (BCDF male 'habeas') et Cas. 609 (III, 6, 10) 'Potin a me abeas' (post quae verba Geppert addidit 'procul') — quacum locutione cf. vernacula lingua dictum „*Wach! daß du fortkommst!*“ — nulla exstat coniunctio, ita ut his praesertim in verbis salutandi parum honorificis omissio coniunctionis sermonis pedestris plebelique videatur fuisse propria; sed conf. Pseud. v. 393 (I, 3, 159), ubi 'ut' insertum; — ceterum tres antecedentes versus (390—392) Lorenz spurios esse demonstravit Philol. vol. XXXV pg. 169 sq. (inspicias etiam Niemeyeri quaestionem 'De Plauti fab. recens. dupl.' (Berol. 1877) pg. 14 sq.), recte mea sententia, sed nonne in subseq. versu (393), ut ipsum illud 'Potin ut abeas' ('habeas' BCZ, 'abeas' D) fortasse probabile reddat, corruptelam quandam latere licet suspicari?

²¹⁾ Alias coniecturas v. in Philol. vol. XXIX (a. 1870) pg. 387 (Seyffert), Annal. phil. vol. CI (eod. anno ed.) pg. 764 (Brix); Ussing scripsit „*Hocine fieri ut inmodestis te modereris moribus?*“ ²²⁾ Conferas Lorenzii annot. ad vv. Most. 361 et Pseud. 229. Quare restringenda notio 'häufig' in Brixii annot. ad Trin. v. 628 (III, 2, 2): „*potin für potisne häufig mit Ellipse von est oder fieri*“.

Haec igitur ut exempla, in quibus 'Potin [ut (ne)]' in formularum tamquam genus abiisse diximus, iam praetereamus prolata diiudicataque, ceteri loci omnes, ubi 'potis' sine 'esse' exstat, laudandi, quo quae eiusmodi formae re vera Plauti codicibus traditae tribuendaeque sint Plauto, facile cognoscas. Sunt autem hi:

2. et 3. pers. sing. praes. ind.: Trin. 352 (II, 2, 72) (POTEPATI A, 'potes pati' cett.); Pers. 30 (I, 1, 31) 'pote pati' BCD, 'potes pati' FZ; Mil. glor. 780 (III, 1, 187), ib. 786 (III, 1, 193); Stich. 454 (III, 2, 1) (POTI(vel E)S A, 'potist' BCDZ, 'potest' F, ubi membranarum Ambr. 'potis' scriptura minime prima persona); Poen. 286 (I, 2, 74) ('pote' forma Charisii auctoritate commendata); Most. 256 (I, 3, 99) ('pote' Ba, 'potē' Bb, 'potest' rel.); Mil. glor. 457 (II, 5, 47) ('ea siqueam potis nostra' BCD, 'ea est nostra quam potis' FZ — quae verba sine dubio Camerarius recte constituisse videtur sic scribens: »ea est quam potis Nostra« [ita ut 'nostra' in initium subsequentis versus traxerit²³⁾], ibid. 550 (II, 6, 70) ('potis' Ba CDa, 'potes' Db, 'potis ē' Bc, 'potest' FZ), ibid. 779 (III, 1, 186) ('potis' BCD, 'potes' FZ), ib. 960 (IV, 1, 19); Cas. 115 (II, 3, 2);

3. pers. sing. fut. ind. (an praes. coni. ?): Mil. glor. 1264 (IV, 5, 55): „*Verbum edepol facere non potis, si accesserit prope ad te*“ — sic legitur in editione Ribbeckiana, Ritschellius voluit: „... *facere haut potis erit*,²⁴⁾ *si*“ [»non potuistu' B, 'non potis si' rel. ('non potest si' scripsit Pistoris', 'non poterit si' Dousa)];

inf. praes.: Epid. 227 (II, 2, 43) (POTIS A, 'potesse' BEJFZ); „*At tributus quom inperatus est, negant pendi potis*“, Merc. 349 (II, 3, 15): „*Dum rursum haud placet nec pater potis videtur Induci, ut putet cett.*“²⁵⁾

His e locis nescio an unus vocandus sit in suspicionem: Militis enim versus ille (1264) 'potis' formam pro futuro (= 'poterit') vel coniunctivo (= 'possit') exhibens propter singularitatem quandam, ut ita dicam, manifestam, dubitationem movet gravissimam, praesertim cum hunc voculae 'potis' usum ipso hoc loco eiusmodi plane carere testimonio, quo sat multa securitate — ex B prorsus nihil effeceris [tuo iure fortasse scripturae 'potis si' codicibus CD(FZ) traditae non plus habeas fidei quam exempli gratia 'possem' B exhibitae Bacch. 762 (IV, 5, 2)] confidas, unusquisque, nisi fallor, non concedere non possit. Certe ego quidem, cui rationes etiam plus valeant quam centum codices, mutatione lenissima libentiore cum animo pro 'potis si' 'potissit si'²⁶⁾, ita ut pro pede quinto | 'si access' | = habeamus = | 'sit si access' | = (quam scripturam e natura indoleque tetrametrorum Plautinorum initio praesertim (alterius) *κόλον* exstantem non ita intolerabilem esse constat) scribere velim quam secure simpliciterque memoria illorum codicum 'reliquorum' fretus omnem opprimere dubitationem (v. § 1 s. f.).

E duobus infinitivi 'potis' exemplis supra allatis²⁷⁾, quae manent firma, facile intellexeris, quam perverse se habeat eorum ratio, qui talibus in quaestionibus, qualem hic tractamus, et tractandis

23) Noli dicere illud 'est' ante 'quam' exstans mente deinceps adiciendum voculae 'potis'. 24) cf. § 1. 25) Quocum versu cf. Bacch. 111 sq. (I, 2, 3 sq.):

„*Namque ita me di ament, ut Lycurgus mihi quidem
Videtur posse hic ad nequitiam adducier.*“

26) Neglectae quae fortasse videtur post arsin quarti pedis caesurae veniam haud frustra petiveris ex huius compositi commissura (cf. ex. gr. Trin. v. 1145 (V, 2, 21), nisi quod hic tetram. troch. exstat) aut caesuram statuas post 'potissis' formam. — Syntaxis ratione habita plane gemellus mihi videtur Merc. v. 518 (III, 1, 20). 27) Rudentis quoque huc referendus versus 968 (IV, 3, 29), ubi codd. praebent 'potius' pro 'potis' manifesto.

et diiudicandis res ad opinionum praeiudicatarum amussim, si hanc imaginem usurpari licet, referre malint quam iterum ac saepius et semper ad memoriam codicum atque inscriptionum certa ex ratione recurrere rationem in certam. Cum enim inf. 'potis esse' cognoverimus — nisi fallimur — monstrum, demonstrari iam non opus est, quid de inf. 'potis' censendum.

Itaque, si Mil. gl. l. l. faciemus missum, statuendum erit 'potis' formam per ἄλλειψιν nonnisi in ind. et inf. praes. exstare adhibitam beneque confirmatam.

His quoque verbi 'posse' formis librariorum hic illic caliginem offudisse cum per se — e consuetudine eorum — tum exemplis apparet laudandis partim (contra metrum) formas contractas scribentes partim 'esse' verbum voculae 'potis' addentes²⁸); conferatur ex. gr. Stich. v. 626 (IV, 2, 46): „*Di immortales, hic quidem pol summam in crucem Cena aut prandio perducipotis. † Ita cett.*“ (POTISEST A, 'potest' libri). In Trin. v. 569 (II, 4, 168), ubi libri „*De dote mecum convenire nil potes*“ exhibent, utrum mutato 'convenire' in 'conveniri' 'potest' Acidalianum (sic etiam Brix) an 'potis' Fleckeisenianum (sic etiam Ritschelius) sit praeferendum, nescio [cf. Capt. v. 89 (I, 1, 21)].

Silentio praeterire non possumus Pseud. v. 633 (II, 2, 38), ubi Ritschelius (Lorenzo secuto) pro 'Potest' tradito scripsit 'Potis':

„*Potis ut alii ita arbitrentur et ego ut ne credam tibi*“;

quam coniecturam nobis probari non posse vel inde colligas, quod nullum prorsus exemplum (semper enim plenae formae 'potest' vel 'potis est' adhibitae) — praeter 'Potin ut', de qua ratione dicendi cf. § 1b — 'potis' formae tali genere syntactico usurpatae aut Plauti aut Terentii codicibus exstat memoriae proditum.

Haec hac de re satis longe patente annotata, quo quis unumquemque traditum locum vel emendatum vel emendandum, quod ad 2. et 3. personam praes. ind. pertinet, certa ex ratione tractare

28) Quod ex. gr. ad Trin. v. 80 (I, 2, 43) attinet, ubi libri cum A praebent 'potest', Ritschelius cum Bothio 'potis' scripsit — „*Non potis utrumque fieri*“, cf. Prolegg. in Trin. pg. CXII — equidem plane cum Brixio consentio in append. critico annotante: „*So sehr es auch möglich ist, daß Pl. für potest lieber oder nur potis oder pote gebraucht hat, so ist doch an sich die Verkürzung von potest nicht auffallender wie in itast, is est u. dgl.*“ Conf. etiam eiusdem viri docti annot. ad v. eiusd. fab. 730 (III 3, 2). E ratione τοῦ ὀνυατὸν εἶναι proficisci talibus in rebus valde periculosum planeque mea sententia evitandum; itaque ex promissione prooemii data: „*numquam, nisi rationes intercedere videbantur certissimae gravissimaeque*“, verba tradita condemnavi. (Prorsus perverse 'Potest' traditum mutavit Ritschelius in 'Potis' Pseud. 633 (II, 2, 38), de quo loco v. infra). Haec sufficiant exempla pro multis. — Ceterum Conradt quoque [cf. eius libri, qui inscribitur: „*Die metrische Composition d. Comöd. d. Terenz*“ (Berol. 1876) pg. 111] quam maxime impugnavit talem formae 'potis' (—e) usum vel abusum; dicit enim Adelph. v. 523 (IV, 1, 7) respecto rectissime vir doctus, cuius verba non facere possum quin ipsa apponam: „*Warum soll denn nicht in propest das est in ganz gewöhnlicher Weise verkürzt werden? Ich kann es schon nicht für richtig halten, daß Hee. 479 und Phorm. 337 gegen alle Handschriften potest in potis und pote geändert wird; selbst der vorsichtige Umpfenbach läßt sich zu diesen Änderungen herbei. Man geht dabei, wie auch Dziaglo in seiner Anmerkung zu der Phormiosstelle ausspricht, von dem Gedanken aus, daß die Ellipse von es, est etc. in der Umgangssprache gerade bei potis und pote sehr gebräuchlich gewesen sei; und man schließt dann weiter: hat also dem Dichter eine pyrrhische Form zu Gebote gestanden, so ließe sich nicht erklären, warum er nicht lieber diese angewandt hätte, als das trochäische (sic! nempe jambische) potest etc., das er erst verkürzen mußte.*“ Rectissime iam pergit Conradt: „*Dieser Schluß ist darum falsch, weil er voraussetzt, daß der Dichter Verkürzungen sich nur als Lizenzen gestattet habe, während die Sache doch, da Terenz auch wohl Verse ohne Verkürzungen fertig bekommen hätte, vielmehr so steht, daß dergleichen Anlehnungen an die Umgangssprache eher für einen Schmutz, wenigstens für ein charakteristisches und unentbehrliches Element seiner Verse zu achten sind.*“

et diiudicare possit, sufficiant. Itaque quoniam non est, cur illius generis ceteros locos omnes commemoratione hic aut non dignos aut non egenos, modo male modo bene correctos acervatim proferamus, infinitivi 'potis' recte de coniectura analogiaque restituti laudemus praeter alia [cf. Brixii annot. ad Men. v. 625 (IV, 2, 41)] exempla Truc. 317 (II, 2, 62), Aul. 309 (II, 4, 30); Poen. 1363 (V, 2, 26), ubi equidem cum Goetzio et Loewio malim scribere: „*Verum opsecro te ut liceat simplum soluere Trecentos Philippos: credo conradi potis*“, quam cum Ussingio: „*Verum obsecro te, ut liceat simplum soluere, Trecentos Philippos: credo conradi potest*“ ('potest' sane libri cum A); Men. 625 (IV, 2, 41) (libri male 'potesse').

Itaque ex iis, quae hac in parte quaestionis disputavimus, Ritschelii annotationem in prima hac paragrapho excitatam (praeter infinitivum) 'etiam pro aliis formis' »potis« usurpatum dicentis esse restringendam intellexeris.

§ 2.

De POTIS et POTE apud Terentium.

a) 'Potis' verbo 'esse' adiecto.

De Terentiano 'potis' adiectivi usu formarum, quas diximus, et primariae ('potis') et debilitatae vel secundariae ('pote') expedit observationem C. F. G. Muelleri (Annal. gymn. Berol. XXIX (1875) pg. 221 sq.; cf. etiam Engelbrechti 'Studia Terentiana' pg. 28 et 29) discrimen hoc statuendis praemittere: forma 'potis' ante vocales, 'pote' ante consonantes solet adhiberi, id quod recte se habere exemplis paulo post alia sane ratione afferendis cognoscas ¹⁾.

Cum apud Plautum, alios scriptores, qui formas non contractas haud minus exhibeant, non modo 'es(t)' singularem cum 'potis', sed etiam pluralem 'sunt' invenias coniunctum [cf. Poen. v. 227 (I, 2, 17)], quodammodo mirari licet, quod huius rei exempla frustra quaeras apud Terentium: semper enim, cum pluralis exstat, usurpat hic formas contractas; accedit aliud: formarum, de quibus agimus, nonnisi secundam et tertiam personam indic. praes. a Terentio adhibitam reperimus ²⁾ [cf. Merc. 331 (II, 2, 59), Poen. 875 (IV, 2, 53)]. Ut haec melius tibi persuadeas, locos, qui huc faciunt, liceat omnes hic enumerare: Andr. 437 (II, 6, 6), Eun. 101 (I, 2, 26), ibid. 263 (II, 2, 32), Heaut. 659 (IV, 1, 46), Phorm. 379 (II, 3, 32), Hec. 395 (III, 3, 35), Adelph. 344 (III, 2, 46), ibid. 521 (IV, 1, 5), ibid. 626 (IV, 4, 18); paulo aliter res se habet in Heaut. v. 321 (II, 3, 81), ubi cod. A 'potes' praebeat, ceteri 'potis est': quarum lectionum de priore ob rationem metricam ne cogitari quidem posse in aperto est, alteram in 'potis es' mutandam esse vel inde apparet, quod hoc loco, ubi Syrus in Clitiphonem invehitur, iam paulo ante ipse G cum A secundam personam 'es' exhibet.

Excitandus est iam nobis locus intricatior, qui exstat Heaut. 923 (V, 1, 50). Ubi codd. omnes A excepto, qui praebet 'tibi non posse auxiliarier', 'tibi non posse te auxiliarier' exhibent. Codicis A scripturam ut mancam ferri non posse constat; de lectione codicum ex recensione Calliopiana ductorum idcirco vix cogitare licet, quia consilium hoc maxime loco repetendi accusativi (intercedit 'Foris sapere' accusativo omisso) ex antecedentibus verbis 'te aliis consilium dare' omnino non intellegitur, immo 'te' post 'posse' ad verum explendum a grammatico demum repetitum esse facile

1) Contrarium, quare huius usus non per se intellegitur ratio, de formis 'necessus' et 'necesse' statuendum esse demonstravit Lachmann vir doctissimus (Lucr. VI, 815). 2) De 'pote fuisset' forma in Phorm. versu 535 (III, 3, 2) tradita v. infra.

cognoscitur. Quibus, nisi fallor, rationibus perductus Fleckeisen, quem editores plurimi adhuc sunt secuti, pro 'tibi non posse auxiliari', codicis Bembini scriptura, 'tibi non potis esse aux.' scribendum esse censuit; sed hanc verbi 'posse' formam de coniectura in Terentii contextum ne inferas, valde cavendum. Recte enim iam Engelbrecht l. l. hanc Fleckeiseni coniecturam, cum haec locutio nusquam omnino (cf. usum Plautinum) confirmata videatur [at 'potesse' haud raro occurrit, etiam apud Terentium uno loco: Eun. 666 (IV, 3, 24), v. infra] in suspicionem vocavit, cf. etiam Dziatzkonis in editione Terentii comoediarum stereotypa (publici iuris a. 1884 facta) ad hunc locum annot. crit. Quod autem Engelbrecht codicum recensionis Calliopianae scripturam ob chiasmi optime constituti figuram ('te aliis' — 'tibi te') »aptissimam« putat, hac de re non recte indicat, nam qua ratione, quoniam verba 'Foris sapere' intercedunt, omnino hic de chiasmo cogitari potest? Quae cum ita sint, praeceptoris clarissimi et carissimi Fr. Schoellii coniectura 'tibi non posse auxiliari', quam nobiscum sodalibus seminarii philologici Heidelbergensis occasione oblata communicavit, longe maxime arridet: nam et hanc syllabulam 'met' facillime intercidere potuisse intellegitur et pronomini 'tibi' sic optime plus momenti tribui constat.

In Eun. v. 113 (I, 2, 83), ubi codices praebent 'potuerat' (simul cum Donati lemmate)

„Neque scibat neque per aetatem etiam potuerat“

Bentleio auctore omnes editores hanc scripturam in formam 'potis erat' portentosam, quod tempus plusq. omnino hic ferri non posset, mutandam esse iudicarunt, quam rationem etiam, qui 'Studia Terentiana' (Vindob. 1883) edidit, A. G. Engelbrecht (v. supra), adeo probavit, ut etiam in Andr. v. 691 (IV, 2, 8):

„Quibus quidem quam facile potuerat quiesci“

formam illam non contractam inferre minime nolit. At illud potius hi loci demonstrant, apud Terentium quoque, ut apud alios, nonnumquam tempora quaedam (i. e. hoc loco plusquamperfectum) non cum significatione sane notissima et usitatissima, minime autem primaria, adhibita inveniri. Quae de re conferenda est C. Fothii disputatio, quae inest octava in Ed. Boehmeri „*Romanische Studien*“ (Argent. 1876) vol. II. pg. 243 — 335 inseribiturque: „*Die Verschiebung latein. Tempora in den romanischen Sprachen*“, ubi praecipue inspicias velim pgg. 301 sqq., 306 sqq., 313 sqq. Docet enim hic vir doctus, ut verbis utar ipsius, 'daß jener Begriff der Vorzeitigkeit ein unwesentlicher, äußerlich hinzugefügter und weder in der Formation der betr. Tempora, noch im Sprachgebrauch begründeter ist' (pg. 301). Quali ratione esse tempora plusq. et fut. exact. non relativa, sed absoluta: 'mögen sie nun als Zeitformen der aoristischen Handlung oder als Zeitformen der Zuständlichen Handlung aufzufassen sein, der Begriff der Vorzeitigkeit liegt (ratione significationis primariae et propriae habita) beide Male nicht in ihnen' (pg. 307). Pergit deinde Foth pg. 208: 'Wichtiger für uns sind die Fälle der Verwendung des plusq. ind. in der älteren Latinität bei Plaut. und Terenz. Die Zuständliche Natur desselben kann nicht zweifelhaft sein bei Beispielen, wie folgenden: Plaut. Pseud. 549, Bacch. 424, Cas. 2, 8, 28, Curc. 425 (vergl. Aul. 4, 6, 14), Trin. 160; Ter. Andr. 3, 2, 37, ibd. 5, 1, 20, Ph. 4, 1, 10, Eun. 2, 3, 51. Nun giebt es aber eine Anzahl anderer Stellen, in denen das Plusq. abweichend von dem regelmäßigen, in der Natur dieser Tempus begründeten Sprachgebrauch aoristisch d. h. in unserem Falle geradezu statt des Perf. hist. gesetzt zu sein scheint, wie folgende Beispiele zeigen, . . . : Rud. 555; 1186; Aul. prol. 33; 2, 4, 33; Cist. 1, 3, 38; Most. 547; Stich. 251; Capt. prol. 17; 194; Amph. 919; Bacch. 957; Cas. 3, 4, 9; Mere. 760'. Pag. 313 sq. affert huiusmodi exempla: 'potuisse = die

Möglichkeit erlangt haben, können; credidisse = gläubig geworden sein, glauben; contempsisse = verachten gelernt haben, verachten; debuisse = genötigt worden sein, müssen; habuisse = erworben haben, haben; fuisse = geworden sein, sein³⁾. Huius Fothianae disputationis ratione habita, quin scriptura utroque loco tradita 'potuerat'⁴⁾ auctoritate editorum posthabita sit servanda, dubitare non possum.

Quae de altera 'potis' adiectivi forma 'pote' cum verbo subst. coniuncta (!) sunt dicenda praeter ea, quae iam supra prolata sunt, paucissimis possunt absolvi, cuius rei unum tantum exstet exemplum in Phorm. v. 535 (III, 3, 2):

„*hic si pote fuisset exorari*“.

Mirus quidam mehercule locus! Dissolutas formas praeter 'potis es(t)' (cf. etiam usum Plautinum) alias aliis locis neque invenimus codicibus traditas neque de coniectura illatas probavimus. Quid? Atqui forma 'pote fuisset' hoc loco optime [AG(D)] memoriae prodita non videtur, sed est; num etiam recta fideque digna? — Neque apud Plautum neque apud Terentium (aut usquam alibi, nisi egregie fallor,) talis forma traditur dissoluta (dissolutae formae ceterae sunt praesentis omnes); neque apud Plautum neque apud Terentium (aut usquam alibi, nisi egregie fallor,) 'pote' forma debilitata alias cum verbo subst. — ex quibus voculis formae 'possum' cett. (forma vero 'primaria') compositae — traditur coniuncta; neque metrica neque alia ratione ratio huius praesertim hoc loco formae adhibendae pro 'potuisset' potest cognosci: adeo singularis exstat hic locus Terentii nimii fere Plauto respectu distrahendarum in cura formarum, ut hanc formam iudicare nihil dubitem adulterinam, cuius loco velim 'potuisset' inductam.

Exemplis adhuc laudatis aliud artissime cum iis cohaerens, quo, quamquam scriptura ipsa verbi membra illa iam in unam vocem exhibet coniuncta, tamen huius verbi derivationem facillime cognoscas, annectendum videtur: dico formam 'potesse' in Eun. v. 666 (IV, 3, 24), ubi cod. A, qui praebet 'posse', contra reliquorum auctoritatem et Prisciani testimonium (II pg. 507) nihil valere manifestum est. Quam formam minime in 'pote esse' dissolvere licere ut prorsus inauditam rationem dicendi satis dilucide apparet ex iis, quae iam (v. etiam usum Plaut.) disputata sunt locisque a Newio l. l. tom. II pg. 601 et a Kuehnero l. l. tom. I pg. 521 laudatis. Ceterum 'potisse' scripturam restituendam esse iam diximus.

b) 'Potis(—e)' verbo 'esse' omisso.

Perpauca⁵⁾ exstant huius ellipsis exempla in Terentii comoediis; primum velim inspicias Adelph. versus 539 (IV, 1, 23) verba: 'Potin ut desinas?' Quem locum huiusmodi solum exstantem

3) Eadem ratione inf. 'extulisse' in Hec. v. 563 (IV, 1, 48) explicandum esse censeo. Quam saepe denique in enuntiatis condic. irreal. coniunctivi impf. et plusqf. inter se confusi videntur! 4) Quod ad interpretandum 'potuerat' attinet, Bentley sententiam, qui 'potis erat' suum ut impersonaliter usurpatum explicat, vix retinendam esse puto, quoniam optime ex antecedenti 'scibat' inf. 'scire' ad 'potuerat' mente addi posse in aperto est. Prorsus falsa autem philologi illius celeberrimi est opinio in annot. ad h. l. pergentis: „*Potis erat* neutro genere, ut semper, accipe: neque *Possibile erat* eam scire per aetatem“; nam illud 'ut semper' minime recte se habere apparet ex Adelph. v. 344 (III, 2, 46), [Eun. 101 (I, 2, 21), Heaut. 659 (IV, 1, 46)]: praeterea non neglegere debebat Britannus doctissimus formam 'pote fuisset', quae sine dubio personaliter exstat usurpata, in Phorm. v. 535 (III, 3, 2) traditam, de qua sane statim dicendum erit. Spengel quoque simili errore captus videtur, qui in annot. ad Andr. v. 327 (III, 1, 27) formam 'potest' ad probandam significationem *τοῦ δυνάσθαι εἶναι*, non *τοῦ δύνασθαι* in 'pote est' dissolvat falsam. 5) cf. etiam Engelbr. l. l. pg. 29. Itaque Umpfenbachium non recte de coniectura demum in Hec. v. 479 (III, 5, 29), quo de loco conferas etiam

C. F. G. Muelleri observationi illi, ut hoc hic addam, minime obesse in aperto est, praesertim cum in interrogationibus sic formatis coniunctione 'ut (ne)' sequente vel cogitatione addenda forma illa 'Potin' adeo usitata esset, ut haec locutio 'Potin ut' iam diu in formularum genus abiisse constet, id quod ex permultis locis Plauti illis cognoscas⁶⁾.

Jam proferendi sunt duo loci, quibus forma 'pote' verbo subst. omisso non codicibus praebetur, sed recentioribus demum editoribus sane praestantissimis videbatur pro 'potest' codicibus exhibito inferenda: Adelph. 264 (II, 3, 11), Phorm. 337 (II, 2, 23) — quo de loco v. Conradtii sententiam pg. 18 not. 28 prolatam, quocum facit P. Barth [v. 'De inf. ap. scaen. poet. lat. usu' (Lips. 1881) pg. 17].

Priore loco, i. e. Adelph. v. 264 (II, 3, 11) in., quem Neue l. l. tom. II pg. 601, quamquam Phormionis illum locum verbis expressis simul cum Bentleii coniectura profert, omisit, praebent codices omnes formam 'potest', Donatus 'pote'. Quo in versu Bentleius non modo collocationem verborum: 'Nil potest supra' in 'Nil supra potest', sed etiam scripturam ipsam 'potest' Faërno auctore in 'pote' mutavit. Quod Bentleius in annotatione ad rationem verborum designandam dicit transponendorum: »Accentus sic commode incidunt, quod in Arte primum est«, id quod non modo ad transpositionem verborum 'quid nam' in 'nam quid', sed etiam 'pote supra' in 'supra pote' spectat, hoc nihil valere inter omnes constat⁷⁾, qualibus in rebus non semel argutius quam acutius egisse virum doctum nemo negaverit. Re vera non est, cur hic a collocatione verborum cod. A et Donati lemmate exhibita, quam iam Faërno recepit: 'Nil pote supra quidnam e. q. s.' recedamus. — Sed iam existit alia quaestio, utrum scriptura codd. 'potest' an Donati 'pote' in textum sit recipienda. Apud Donatum haec leguntur: »Nihil pote supra] pote pro potis'. Quodsi in lemmate tantum Donati 'pote' legeretur, huic rei per se nihil esset tribuendum: quoniam autem verbis expressis »pote' pro 'potis'« annotat, in hac annotatione testimonium quoddam inesse exquisitum, quod etiam codicum fidem superet, nisi fallor, in aperto est. Itaque Spengelii iudicium, qui, quantum equidem scio, post Bentleium editorum primus et unus in praef. ad Andr. pg. XXVI et annot. ad h. v. pg. 118 — quamquam exemplum, quod append. crit. l. l. ex Phorm. v. 553 (III, 3, 20) affert, minime recte excitatum est —, codicum scripturam servatam⁸⁾ vult, ratione carere unusquisque concesserit. Fleckeiseni et Wagneri scripturam 'potis' etiam minus ferri posse patet.

Exinde transferenda est nobis eadem ratio ad Phorm. v. 337 (II, 2, 23). Faërno sic scandenti: »Nón potést satis | pró mérito áb illo | tibi refferri grátia« recentiorum

Conradtii disputationem („Die metrische Compos. etc.“), pro 'potest' forma tradita 'potis' verbo subst. omisso intulisse constat (cf. Bentleii coniect., ubi distractio vocularum 'potis' et 'est' vitiosa); immo 'potest' codd. omnibus et Donati lemmate traditum leni vocabulorum transpositione adhibita (quae iam in Fleckeiseni reperitur editione) Engelbrecht l. l. ead. pg. recte monuit esse retinendum. 6) Cf. Engelbr. l. l. pg. 28/29. 7) Conf. vv. Adelph. 279 (II, 4, 15), ibid. 909 (V, 7, 11); — Heaut. 453 sq. (III, 1, 44 sq.), ibid. 880 (V, 1, 7) et Wagneri annot. ad h. v., Adelph. 96 sq. (I, 2, 16 sq.) et Spengelii annot., etc. 8) Sane, quod ad rem metricam et grammaticam attinet, utraque scriptura ferri potest. Nam, ut alia omittam, omnino in pede primo versuum iambicorum formando poetas antiquos libertate usos esse maxima constat — cf. ex. gr. Christii „Metrik der Griechen und Römer“ (II. ed.) pg. 330 —, ita ut etiam tres syllabae, »welche nach den gewöhnlichen Regeln der Prosodie einen Bacchius bilden« optime in pede illo adhiberi possint. Ex exemplis autem, quae Christ ad hanc rem affert probandam, unum mihi displicet: 'student facere' sumptum ex Adelph. v. 900 (V, 7, 2), quia priores tres syllabae mihi quidem „nach den gewöhnlichen Regeln der Prosodie“ potius amphibrachyn efficere videntur, ita ut hic in prima sede proceleusmaticus, quem saepius a poetis Romanorum scenici praecipue in versuum iambicorum primo pede [cf. ex. gr. Heaut. v. 923 (V, 1, 50)] admissum esse nemo nescit, exstet.

editorum nullum esse assensum nemo non probaverit. Immo hunc septenarium trochaicum: »Nón
pote | sátis pro | mérito ab | illo | tibi reférri gratia« Bentleio auctore editores recentiores multo
probabilius statuerunt omnes. Sed, quamquam ob hanc rationem, ut Bentleius iudicare videtur, forma
‘potest’ minime necessario in ‘pote’ est mutanda, nihilo setius ‘pote’ esse legendum censeo. Non modo
enim formas non contractas et contractas verbi ‘posse’ a librariis sive consilio sive negligentia saepe
esse confusas, sed etiam formam ‘est’ non semel male illatam constat, — id quod hoc loco fortasse
etiam facilius, quia vocabulum ‘POTE’ sequuntur litterae ‘SAT’, quam in Adelph. versu illo, ubi
‘SUPRA’ subsequitur, fieri potuisse intellegitur. Haec tantum inter ambos locos intercedit ratio, quod
illic forte quadam annotationem Donati gravissimam habemus, hic non habemus. Lemmatibus Donati
(et Eugraphii) in rebus criticis nihil fere esse tribuendum inter omnes constat. Quare analogiae
ratione hoc quoque Phormionis loco ‘pote’ pro ‘potest’ (codd. omnibus et Donati Eugraphiiique lemmatibus
tradito) restituendum Spengeliique iterum aliter sentire visi (conf. exempla praef. ad Andr. pg. XXV
congesta) sententiam reiciendam esse iudico.



editorum nullum esse assensum nemo ne
pote | sátiſ pro | mérito ab | illo | tibi
probabilius statuerunt omnes. Sed, quam
‘poteſt’ minime neceſſario in ‘pote’ eſt m
enim formas non contractas et contractas
eſſe confuſas, ſed etiam formam ‘eſt’ ne
etiam facilius, quia vocabulum ‘POTE’
‘SUPRA’ ſubſequitur, fieri potuiſſe intell
illic forte quadam annotationem Donati g
(et Eugraphii) in rebus criticis nihil f
ratione hoc quoque[Phormionis loco ‘pote’
tradito) reſtituendum Spengeliique iterum
congeſta) ſententiam reiciendam eſſe iudi

m trochaicum: »Nón
pres recentiores multo
iudicare videtur, forma
m cenſeo. Non modo
ſive negligentia ſaepe
quod hoc loco fortasſe
delph. verſu illo, ubi
ſ intercedit ratio, quod
. Lemmatibus Donati
ſtat. Quare analogiae
graphiique lemmatibus
f. ad Andr. pg. XXV

